Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8139
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

licet. et non expedit obedire eis. Fabianus papa. Si quis communi
cauerit sponte excommunicatis uerbo uel oratione. cibo uel potu. et ipse
simul excommunicationi subiacebit. et si penituerit. xl. dies in pane et
sale et aqua peniteat. Aug. Quisquis metu cuiuslibet po
testatis ueritatem occultat. iram dei super se prouocat. quia magis timet
hominem quam deum. G G. Episcopus qui nec sua delicta detersit nec
catholicorum filiorum corrigit. canis impudicus magis dicendus est quam episcopus.
Si quis contra suam professionem uel ad conscriptionem egerit. si clericus
fuerit deponatur. si laicus anathematizetur. Non licet imperatori
uel cuiquam pietatem custodienti aliquid contra diuina mandata agere.
Anno dominice incarnationis millesimo centesimo .x. facta est in la
teranensi ecclesia synodus presidente domino paschali secundo papa. Indictione .iii. Nonas
martii ubi hec capitula edita sunt. Apostolorum canonibus statutum est ut omnium
negotiorum ecclesiasticorum curam episcopus habeat. ut ea uelut deo contemplan
te dispenset. Item in antioceno concilio statutum est. ut que sunt ecclesie
sub omni sollicitudine et conscientia bona et fide que in deum est con
seruentur. Que etiam dispensanda sunt iudicio et potestate ponti
ficis dispensentur cui commissus est populus et anime que intra ecclesiam con
gregantur. Item stephanus martyr scribit. Laici quamuis religiosi sint.
nulli tamen de ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi legitur un
quam attributa facultas. neque deinceps fieri permittimus sed omnino prohi
bemus. Si quis ergo principum uel aliorum laicorum dispositionem seu do
nationem rerum siue possessionum ecclesiasticarum sibi uendicauerit. ut
sacrilegus iudicetur. Clerici uero seu monachi qui eas per illorum pote
statem susceperint excommunicationi subiciantur. Sunt preterea
quidam qui ut uiolentia uel fauore non permittunt ecclesias regulari
ordinari. Hos etiam decernimus ut sacrilegos iudicandos. Qui
uero ecclesias eorum uiolentia uel potestatiuo fauore susceperint excommu
nicationi subiciantur. Quicumque res naufragorum diripiunt ut
raptores et fratrum necatores. ab ecclesie liminibus excludantur.